

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Christus f
cum fontibus primis

Tota uita Christi in terris per
hominem quem
gessit
disciplina morum fuit.

Tota itaque uita eius in terris per
hominem, quem
suscipere dignatus est,
disciplina morum fuit.

Augustinus Hipponensis, *De uera
religione*, 16, 32 (CCSL 32, K.D. Daur
ed., p.207, ll.43-44).

Itaque nouum testamentum hereditatis
sempiternae manifestans, in quo
renouatus homo per gratiam dei ageret
nouam uitam, hoc est uitam spiritalem;
ut uetus ostenderet primum, in quo
carnalis populus agens ueterem
hominem, exceptis paucis intelligentibus
patriarchis et prophetis et nonnullis
latentibus sanctis, carnaliter uiuens
carnalia praemia desiderabat a domino
deo, et in figura spiritalium bonorum
accipiebat:

Omnia enim bona mundi
Christus contempsit

que contempnenda docuit, et
omnia mala sustinuit que
sustinenda precepit.

Augustinus libro de uera religione.

omnia ergo bona terrena
contempsit homo factus dominus
Christus,
ut contempnenda monstraret; et
omnia terrena mala sustinuit, quae
sustinenda praecipiebat:
ut neque in illis quaereretur felicitas,
neque in istis infelicitas timeretur.

Augustinus Hipponensis, *De
catechizandis rudibus*, 22, 40 (CCSL 46,
J. Bauer ed., p.164, ll.32-43).